

Accinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos nos et implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen et fulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis aeternae de hac saeculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper et cauti adventum Domini repentinum, ut, quando ille pulsaverit, evigilet fides nostra, vigilantiae praemium de Domino receptura. Si haec mandata serventur, si haec monita et praecepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus, servi vigiles Christo dominante regnabimus.

S. AMBROSII AD VALENTINIANUM  
IMPERATOREM, RELATIONI SYMMACHI RESPONDENTIS,  
APTISSIMISQUE CONFUTATIONIBUS EAM REFELLENTIS.

EPISTOLA XXXI. \*

Ambrosius episcopus beatissimo principi, et clementissimo Imperatori Valentiniano Augusto.

Cum vir clarissimus, praefectus urbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut ara, quae de urbis Romae curia sublata fuerat, redderetur loco, et tu, Imperator, licet adhuc in minoris aevi tyrocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus obsecrata gentilium non probares; eodem, quo comperi, puncto libellum obtuli: quo licet comprehendenterim, quae suggestioni necessaria viderentur; poposci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque non fidei tuae ambiguus, sed providus cautionis, et pii certus examinis, hoc sermone relationis assertioni respondeo: hoc unum petens, ut non verborum elegantiam, sed vim rerum expectandam putas. Aurea enim (sicut scriptura divina docet) est lingua sapientium literatorum, quae phaleratis dotata sermonibus, et quodam